



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De Petro per Andream, & Nathanaele per Philippu[m] ad Christu[m]
adducto Ioan. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

qui nobis dicat, qua audierint illi à Domino? quàm beatos dies, quàm beatas noctes ducunt etiam omnes alij, qui simili modo à Domino vocantur? quàm extraordinarias illustrationes, quàm suaues impulsus, cum mira pace & dulcedine mentis superante omnem sensum experiuntur, vt exclamare libeat: *Trahere nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum?* Amor, gratitudo, feruor cooperandi gratiæ vocationis. Cant. II.

De Petro per Andream, & Nathanaele III
per Philippum ad Christum ad-
ducto. Ioan. I.

I. **A**NDreas frarrem Simonem ad Christum, ceu verum Messiam, adduxit: quem is intuitus dixit: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, id est, Petrus.* Quàm gratus fuerit Christo zelus Andream primi sui discipuli pro salute fratris & gloria magistri promouenda tam solliciti? quàm copiosè hunc Dominus remunerarit: nouis charismatis illi impertitis? quàm Christi exultatio de conuerso Petro, futuro suo in terris vicario? quàm raris primo intuitu mentem eius diuinæ lucis radijs illuminarit, & amo-

H. h. 4. ris

ris facibus inflammarit. O quàm felix, quisquis sic à Christo respici meretur! Zelus animarum, amor Iesu & vocationis.

II Philippus similiter postero die à Christo ad sequendum se inuitatus; Nathanaelem aduentu veri Messiae monitum secum ad eundem deducit, quanto Philippi zelo, Nathanaelis bono, Christi gaudio? Affectus ijdem.

III. Videns Iesus Nathanaelem ad se venientem dicit de eo; *Ece verus Israelita, in quo dolus non est.* quærentiq; illi: *Vnde me nosti?* ait: *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* moxq; is mirè illuminatus & inflammatus exclamat: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.*

Quanta bonitas & charitas Christi erga rectos corde, quos sic oculis misericordiæ respicit, in innocentia conseruat, gratia præuenit, vocat, illuminat, inflammat? Gratitude, amor Iesu & vocationis.

IV. *Defugatus è templo. Ioan. 2.*

I. **C**Hristus circa Pascha è Capernaò Ierosolymam ascendit, templumq; negotiatoribus refertum reperiens mi è indoluit, cum videret nò solum